

2. *Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò perveniret, ut extra septa monasterii, vel conventus fiat egressio* 3. *Voluntaria ac furtiva è monasterio, seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.* 4. *Proprietas contra votum paupertatis, qua sit peccatum mortale.* 5. *Juramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.* 6. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto.* 7. *Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterii, aut conventus.* 8. *Furtum de rebus monasterii, seu conventus in ea quantitate, qua sit peccatum mortale.* 9. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.* 10. *Occisio, vulneratio, seu gravis percussio cuiuscunque personae.* 11. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum, à superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad superiores.* Quod si aliud peccatum grave ad Religionis conservationem reservandum videbitur, id non aliter fieri permittit, nisi de consensu Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia. Putida autem sunt, quæ citatus Author observat de consuetudine Panormitana, & aliarum quarundam Diocesew, de quibus loco laudato.

## VI.

Multum solliciti sunt de hoc argumento Theologiae Conscientiarum Pontificij, & etiam in *Instructionibus ad Provinciales & Superiores Societatis instruct.* 20. pag. m. 104. hæc leguntur: *Curandū insuper est, ut Theologi, & Casista Scholastici, in Casibus Conscientie maxime instructi sint, cum minime obscurum sit, quam res per necessaria sit Operariis Societatis. In quam quidem rem vehementer cupimus à Superioribus diligenter incumbi; ut fructus re ipsa constet, ratione ad eum consequendum ab ipsis excogitata. Quamvis abunde satis nobis prospectum videatur, si hebdomadaria Casuum collatio in primariis Collegiis juxta Regulam Provincialis in libro studiorum diligenter habeatur.*

## VII.

*Conscientia autem quid sit, quam Scriptura nomine כּל quod Cor designat Genes. 20. v. 5. Ecclesiast. 7. v. 23. & cap. 10. v. 20. Græci, συνείδησις appellant, & quid ambitu suo complectatur, in Theologia Morali exposuimus, de qua Bernhardus libro posteriori de Conscientia cap. 8. & Libro de interiori domo cap. 22. Conscientia est Cordis scientia; cor enim & se novit sua conscientia, & multa alia: quando novit se, appellatur Conscientia, quando præter se alia, nominatur Scientia.*

## VIII.